



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713

XII. Contra Jordanem Canonicum Osnaburgensem, qui unam in orbe terrarum Parisiensem Academiam volebat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29975

Et unicum retinere et defendere? Nunquid poteris approbare mendacium Cathedram Petri, et claves regni caelorum à Christo concessas, ubi est nostra societas? Fateatur ergo Philippus, aut in veterum Formatis litteris nihil ad tuendas Academias positum esse praesidii, quae sine Pontificis auctoritate, nutuque fundantur, aut certè, si, ut par est, nefas esse putat à sententia ejus aratis discedere, quâ integram, puramque Ecclesiam fuisse confitetur; Burenianam certè orationem, quam suâ praefatione sibi laudandam putavit, & totum ejus consilium damnet necesse est. Quid enim stolidius, quàm eam Academiam in caelos ferri, cui Pontificis auctoritas ludibrio sit atque despectui, cum gravissimi & vetustissimi Patres, totius orbis consensu, testentur, absque ea veritatem retineri nullo modo posse? Num verò magis Academia sine veritate, quàm mundus sine sole constare potest? Meritò igitur te, Princeps Illustrissime, posterius omnes amabunt, atque in oculis ferent, qui cum, hanc Academiâ fundandâ, viam aperire, & munire velles ad veritatem, eam unam tibi sequendam putasti, quâ tot innocentissimos, sapientissimosque homines ad illam pervenisse, nemo, qui se modò sapere profiteatur, ausit diffiteri.

CAPUT XII.

Contra Jordanem Canonicum Osnaburgensem, qui unam in orbe terrarum Parisiensem Academiam volebat.

Verùm exorietur fortassè nonnerno, Princeps Illustrissime, qui cum in magni beneficii loco ponat, nullam adhuc in Westphalia pravis infectam opinionibus Academiam extitisse, neget tamen etiam rectè sentientium numerum augeri oportere. Sunt enim quidam homines ita tetrici ac morosi, ut qua in re ipsi commodo aliquo sint affecti, in ea ceteros absque eodem versari, ferre nullo modo possunt. Atqui ii, si qui tamen erunt, fortassè Jordanis Canonici

nonici Osnaburgensis, qui Rudolpho Habisburgio Casare floruit, se auctoritate tuebuntur. Is in libro de translatione Imperii ad Germanos, censuit, quemadmodum una esset Ecclesia Romana, quæ cæterarum mater esset ac magistra, ita satis orbi terrarum esse unam Academiam Parisiensem, à qua bonæ omnes artes, quæ ad orthodoxam doctrinam tuendam & ornandam sint opus, ab omnibus gentibus peti possint. Quæ opinio totius jam propè orbis consensu, & institutis, tot jam exortis novis gymnasiis pridem est confutata. Ac Parisiensem quidem Academiam, propterea quòd antiquitate facile cæteras omnes antecellat, semperque viris eruditissimis & gravissimis abundarit, equidem omni veneratione complectendam esse judico; præsertim, quòd eam idem ille Carolus, eodem quo hanc nostram, & finitimas Westphaliæ, Saxonixque Cathedrales Ecclesias, animo illo suo verè magno, & incenso de humano genere bene mendi studio fundaverit. Sed vereor ne parum intelligant, qui hæc disputant, in quo sita sit vera Academiæ nobilitas, qui totam ejus gloriam angustiis unius urbis finibus terminari volunt: cum hominibus eruditione præstantibus, ex ea, velut equo Trojano, depromptis, atque in alias velut colonias dimissis ac distributis, latius multò & fructum ejus, & famam amplificatam ac diffusam esse videamus. Certè hæc ipsa JESU Societas, quæ ut alia complura, toto orbe Christiano, ita hoc Paderbornense gymnasium tuâ, Princeps Illustrissime, voluntate moderatur ac temperat, in Academia Parisiensi primùm est exorta, & decem illi Patres, qui eam primùm certis legibus institutisque devinxerunt, in litteris Apostolicis, *in universitate Parisiensi graduati, & in Theologicis studiis per plures annos exercitati fuisse memorantur.* Quòd si, è Jordanis præcepto, Lutetiæ in aliquo gymnasio delitescerent, iis duntaxat doctrinæ suæ lucem impertivissent, quibus fuisset ad eos audiendos conveniendi facultas, nulla propè jam esset Christiana natio, quæ non aliquot eruditorum hominum millia, quæ postea ex hujus Societatis disciplina

Pauli III.
ann. 1540.
Julii 3.
ann. 1550.

Lib. 2. prodierunt, desideraret. Neque verò, propterea quòd Romana Cathedra à CHRISTO sic constituta, in qua una Cathedra, ut loquitur Optatus, *unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret*: non, inquam, consequens est unam duntaxat Academiam esse debere. Quoniam enim fieri non posset, ut omnes Ecclesiæ partes, instar unius corporis, inter se cohærerent, nisi CHRISTI instituto, unius, quod sub aspectum caderet, capitis auctoritate tenerentur, ideò non dubitamus pronuntiare cum D. Cypriano Martyre: *Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.* Quòd si ad idem exemplum formandæ essent Academiæ, concluderetur non unam omnino solam, ut argumentabatur Jordanes, sed unam quæ auctoritate, & imperio quodam ceteras contineret, & gubernaret esse oportere. Sed ne id quidem necesse est. Dum enim Academiæ inter partes Ecclesiæ, ut verè sunt, censentur, licebit quidem opinionibus, de quibus in utramque partem integra religione certatur, inter se dissentiant: in iis verò quæ capita sunt ac firmamenta salutaris doctrinæ, ne distrahantur in factiones, eadem eas, quæ universam Ecclesiam, auctoritas colligabit.

Epist. 8. ad
 plebem.

CAPUT XIII.

Cur expediat plures Catholicas Academias institui.

ESt nihilominus hodie quoque nonnullis, quibus est privatus quæstus reipubl. commodis potior, permolesta Academiarum novarum omnis institutio. querunt enim nescio quid de splendore & celebritate veterum gymnasiorum, novis fundandis, quotidie detrahi. Quæ ratio si majores nostros movisset, ne ea quidem extarent, pro quorum isti honore decertant. Etenim ante annum à CHRISTO na-
 to